

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Michael Cobabus Severin Walter Schlüter

**Reverendae Facultatis Theologicae in Academia Rostochiensi p.t. Decanus
Michael Cobabus, Theologiae Doctor & Professor ... Ad Disputationem
Inauguralem ... Dn. Severini Waltheri Schlüter**

Rostochii: Kilius, 1672

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740890913>

Druck Freier  Zugang



RU theol 17. Sept. 1672
Cobanus, Michael / 6
~~Schlüter, Severin. W.~~

Programma

3. 40

Quod Deus Optimus Maximus

Felix Faustumq; esse jubeat!

Reverendæ Facultatis Theologicæ in Aca-
demia Rostochiensi

p. t. DECANUS

56

MICHAEL
COBABUS,

Theologiæ Doctor & Professor

suo, & Venerandi Collegii Theologici nomine

Ad



Disputationem Inauguralem
VIRI REVERENDI, & CLARISSIMI

DN. SEVERINI VVALTHERI

Schlüter / Hamburg.

*Ad diem XVII. Septembris publicè, & solemniter in Au-
ditorio Majori horis ante & post meridianis habendam,*

MAGNIFICUM DN. RECTOREM,

Plur. Reverendos, Amplissimos, & Excellentissimos

DN. Professores, Doctores, Licentiatos, Verbi Divini ministros

Omnesq; Literatos ac Literatorum Fautores perquam

humaniter, & officiosè invitati.

ROSTOCHII, Typis JOHANNIS KILII, Universitatis Typogr. 1672.

1672



Ræsidium nobis divinitus das-
tum, ut eo in omnibus fidei quæstio-
nibus, Religionis controversiis,
tentationibus, luctâ carnis, & Spir-
itus, aliisque obvenientibus malis
reverenter utamur contra cœlestis,
veritatis hostes, non aliunde peten-
dum est, quâm è Scriptura canoni-
ca V. & N. T. Hæc ab ipso Sanctita-
tis fonte, à quo nil nisi divinum,
sanctum, & quod est infallibile, oriri
potest, supernaturali revelatione

projecta per sanctos Dei homines ad nostram instaurationem, & sa-
lutem fideli cura est exarata. Non enim voluntate hominis allata
est ulla propheetia; sed acti è Spiritu Sancto locuti sunt Sancti DEI
homines 2. Petr. 1. v. ult. unde Scriptura dicitur divinitus inspirata.
2. Tim. 3. v. 16. & ἐξ οὐρανοῦ Scriptura, in qua nobis revelantur,
quæ nulli Sapientum hujus mundi unquam iumentem venerunt, &
non nisi à Deo manifestari potuerunt. Præclarè igitur Augustinus:
Quid est Scriptura sacra, nisi quedam Epistola omnipotentis Dei ad
suam creaturam, in qua verba Dei sonant, Et cor Dei discitur. Epi-
tome, vel centrum hujus Epistolæ, est Christus humani generis Ser-
vator, qui non tantum est quærendus in scriptis Evangelistarum,
& Apostolorum, sed etiam Prophetarum. Huic enim Prophetæ
testimonium perhibent, remissionem accepturum quemvis in eum
credentem. Actor. 10. v. 43. Nam Jesum Christum proposuit Deus
ἰλατέσεωι per fidem in ipsius sanguine in V. T. ut demonstraret
Justitiam suam per remissionem peccatorum præcedentium: in N.
T. ut demonstraret justitiam suam per remissionem peccatorum

præsentî

præsenti tempora, ut ipse sit justus, & justificas eum, qui est ex fide
Iesu. Rom. 3. 26. 27. S U B J E C T U M , cui hæc Epistola est com-
mandanda, est omnis Creatura, cui Evangelium est prædicandum
Matth 28. v. 19. Marc. 16. 15. Nam omnes sunt peccatores, non est ius-
fus, ne unus quidem. Omnes deflexerunt, à via Justitiae & Sanctita-
tis, & simul inutiles facti sunt, non est, qui faciat bonum, non est
usque ad unum Rom. 3. 10. 11. 12. Omnes enim peccarunt: Egent glo-
ria DEI v. 23. Judæis quidem in V. T. concessa est præeminentia ra-
tione beneficiorum à Deo acceptorum. Primarium enim & sum-
mum beneficium ipsis præ gentibus in V. T. exhibitum illud est, quod
ipsis credita sint eloquia Dei. Rom. 2. v. 2. Verùm ratione meriti
omnis Judæus est sub peccato, & omnis græcus est sub peccato: Nul-
lus Judæus præcellit gentili in Judicio Dei peccata arguentis. Rom. 2.
9. Finis hujus Epistolæ est, ut cor, vel voluntas Dei ex illa probè di-
scatur, & agnoscatur. Non est ait Bellar. lib. 6. de amil. gratiæ &
statu peccati cap. 3. in resp. ad obj. 6. de rebus, quæ pendent à divina
voluntate aliquid afferendum, nisi Deus ipse in scripturis sanctis tale
aliquid revelaverit. In scriptis humanis nihil aliud invenimus,
quam vel Reip. administrandæ leges, & adminicula; vel valetudinis
servandæ, ac recuperandæ rationes: vel rei familiaris custodiendæ &
augendæ viam: vel agriculturæ, aliarumquæ artium, & scientiarum
instituta, & semper aliquid potest desiderari, etiamsi sanctorum ho-
minum sunt scripta. Verùm in Epistola omnipotentis Dei ad nos
homines scripta, mensa instruclissima est apposita, & inventitur o-
mnium bonorum Spiritualium abundantia, unde Spiritus S. gratiæ
cuique licet prospicere suæ indigentia, & animam suam tristem libe-
ralissimè reficere. Hic dulcissimi divinæ gratiæ & misericordiæ ape-
riuntur fontes, ad quos gratis hauriendos gratiosè omnes invitamus,
ut cor nostrum efficaciter refocilletur, & sitis nostra intolerabilis re-
stinguatur. Si laboramus ignorantia rerum spiritualium, mentem
humanam longè excedentium, & nescimus, quam viâ incedamus, ut
voluntate Dei cognitâ, & peccatis ex lege agnitis, justificemur in
judicio divino, atque justificati nos Deo sistamus hostiam vivam,
sanctam & acceptam; Scriptura à Patre lumen profecta, non
tantum in se, sed etiam quoad nos est lucerna pedibus nostris, & lu-
men semita nostræ Ps. 119. v. 105. Est lucerna splendens in obscuro loco,
illuminans tenebricosas hominum mentes. 2. Pet. 1. v. 19. Errores, &

A 2

igno-

*ignorantiam discutiens, & lucem cognitionis Christi cordibus nostris
præbens 2. Cor. 3. 15. & seqq. cap. 4. v. 4. & 6. Parvulum sapientem
efficiens, & oculos mentis illuminans Ps. 19. 8. 9. Nam sine superna-
turali Scripturæ luce, omnia sunt tenebrosa, ignorantia, & erro-
rum plena Eph. 2. 11. 12. Nullus filius lucis, & hæres Dei, nulla men-
tis illuminatio: Omnes in tenebris manent, & ambulant Eph. 5. 8.
Joh. 3. 19. 20. Homo, quicunque is sit, natura non percipit ea quæ
sunt Spiritus, stultitia enim est illi, & non potest intelligere. 1. Cor. 2.
14. Si opus est gladio Spiritus, quod nos defendamus adversus insul-
tus hereticorum, in Ecclesiam Christi sese inferentium, eosque vir-
tute Sp. S. superemus, ut victi veritati Evangelicæ obedient, Scri-
ptura non tantum utilis est ad doctrinam, sed etiam *τοες ἐλεγχον*
2. Tim. 3. v. 16. Nam lex Iehovæ perfecta, convertens animam, testi-
monium Iehovæ fidele, sapientem efficiens parvulum Ps. 19. 8. est ser-
mo Dei vivus & efficax, & penetrabilior omni gladio anticipi Hebr. 4.
12. Scripture auctoritate invicta adversus dolos, & innumerabiles
fraudes antichristi, quibus gentes toto orbe seducet, nullum, est divi-
nitus Ecclesiæ datum majus fortiusque præsidium. Ad omnes enim
Diaboli infidias detegendas; ad omnes Diaboli machinas superandas
valet excelsum atque insuperabile divini eloquii robur. Omnis ser-
mo Dei ignitus clypeus sperantibus in se Prov. 8. & gladius spiritus est
verbum Dei, ita Acosta lib. 3. de noviss. temporibus cap. 3. Si variis
afflictionibus, & persecutionibus in hujus vita curriculo propter no-
men Christi sumus expositi, & in nostra vocatione acerbè tur-
bamur, & divexamur; vel etiam experiri cogimur, nos in judi-
cio humano injuste accusari, & condemnari, & propterea
nescimus, quod nos vertamus: Scriptura expedita nobis suppe-
ditat præsidia, ut turbati, & condemnati animum non despondea-
mus, neque mundi perverso de nobis judicio, ac minis detur-
bemur à Christiana constantia, & veræ pietatis tramite; sed cogitan-
tes in persecutionibus illis à DEO nos diligi, & Christo capitи no-
stro similes reddi, malum illatum bono speremus, & nos magis ma-
gisque ad patientiam assuetudinem, ut persequentes potius fatige-
mus, quam, ut in acerbissimis persecutionibus frangamur. Nam
virtus DEI in infirmitate nostra perficitur, ut sermo de cruce nobis fit
potentia Dei i. Cor. I. 18. scientibus, quod afflictiones sint exercitia,
quibus DEUS nostram obedientiam, & fidem exercet, atque nos
præparat*

præparat ad patientiam, quâ res adversas injustè tibi illatas æquo animo ferimus, ob Dei voluntatem, absque odio adversus persequentes. Si deniq; in tentationibus Spiritualibus sentimus ingentes dolores, & cruciatus animæ, & inde quemadmodum solet fieri, argumentamur, nos non vocari juxta Dei propositum, Spiritus Sanctus in illis cordis angustiis per Scripturam Sacram nostræ infirmitati gratiore & efficaciter auxiliatur, & nos juxta propositum Dei vocari, & filios atque hæredes esse Dei, verissimè demonstrat, nam quos DEUS præscivit, eosdem & prædestinavit conformes fieri imagini filii sui, ut is sit primogenitus inter multos fratres Rom. 8. 27. Hæc euim est DEI bona voluntas, ut credentes afflictione, & gloria fiant conformati Christo, Nam fidus sermo; si cum eo mortui sumus, cum eo etiam vivemus. Si toleramus etiam cum eo regnabimus: si abnegamus, & illo abnegabit nos 2. Tim. 2. 11. 12. Ut autem de illo unico Christianorum præsidio, & munitissimo propugnaculo, quo se muniunt, & firmant adversus Diaboli, & omnium hostium spiritualium machinationes, paucis multa dicantur, omniaque in compendium referantur: Scriptura divinitùs inspirata utilis est ad Doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem, quæ est in justitia, ut perfectus sit homo DEI, & ad omne opus bonum instructus. Nam sacrae literæ possunt nos instituere ad salutem, per fidem quæ est in Christo Jesu 2. Tim. 3. 15. 16. 17. Neque verò in uno aliquo, vel altero genere; sed in omni prorsus hæc Doctrina hominibus utilis est, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus. Docet ignorantes, solatur tristes: torpentes refocillat, confirmat, atque erigit afflitos. Denique nulla animorum agritudo est, cui mederi non possit. Gregor. de Valentia, in Analyse. fid. lib. 1. cap. 15. Etsi DEUS ante legem promulgatam, & Israëlitarum ex Ægypto egressum, verbo non scripto Patriarchis communicato Ecclesiam suam erudiit; hominum tamen longævitate diminuta, & corruptione voluntatis humanae, insidiis Diaboli, & mundi astutia indiæ crescente, ipsi, ut divina sapientia fideliori cura conservaretur, & latius propagaretur, placuit, per Sacram Scripturam Sapientiæ Divinæ, & veræ pietatis canonem, Ecclesiam usque ad finem mundi erudire ad salutem. Postquam igitur DEUS verbum suum scripto exarari voluit, & Christus per Scripturam nobiscum loquitur, atque suum de essentia & voluntate DEI judicium nobis benignè aperit, & declarat, ut credentes vitam.

habemus per nomen ejus. Joh. 20. 31. Scriptura est fidei nostra fundamentum, Eph. 2. v. 20. & principium, vel id primum, è quo cognoscitur omne Dei consilium, de nostra salute Acto. 20. 27. cap. 26. 22. & probatur, quæ nam sit bona, accepta & perfecta DEI voluntas, Rom. 12. 2. Ex hoc principio Paulus Apostolus non tantum affirmativè, sed etiam negativè in articulis fidei declarandis, & demonstrandis argumentatus est, ut eo ipso Scripturam perfectam fidei, & religionis veræ normam esse, doceret, & testaretur. Audiamus ipsum in epistola ad Rom. cap. 4. differentem, de justificatione Abrahami in conspectu DEI. Nam ibidem docet: Abrahamum ex operibus non esse justificatum in conspectu DEI, quia Scriptura illud non dicit; Abrahamum autem apud Deum justificatum esse fide, quia Scriptura illud dicit. Quid enim, inquit, Scriptura dicit, sc. de justificatione Abrahami apud Deum? An dicit ipsum justificatum esse in iudicio Divino ex operibus? Absit! nam Scriptura dicit, Abrahamum credidisse, illudque ei imputatum esse ad justitiam, ergo Scriptura non dicit, Abrahamum ex operibus esse justificatum apud DEUM. Nam Abrahamo merces imputata est gratis, non ex debito, Ei autem qui operatur, merces non imputatur ex gratia, sed ex debito. Abrahamus verò non est operatus, ut in iudicio divino per opera esset justus, credit autem in eum, qui justificat impium; ei autem qui non operatur, ut justificetur in conspectu DEI ex operibus; credit autem in eum, qui justificat impium, fides sua imputatur in justitiam, sicut etiam David declarat beatum eum hominem, cui DEUS imputat justitiam absque operibus. Dicit enim scriptura: Quisquis credit in eum non pudebit. Rom 10. v. 11. Ob hanc causam Ap. Act 25. 22. aperte docet, quod nihil dixerit extra ea, quæ Apostoli & Prophetæ locuti sunt futura esse. Omitto multa alia loca, in quibus Apostolus contra suos Adversarios ad solam Scripturam provocat, ut illos ex ea confutet, & erudit. Illud autem praterire nequeo, quod Berhöenses Act. 17. v. 11. commendantur, quia audita Pauli doctrinā scrutati sunt Scripturas, an etiam illa se ita haberent. Siigitur Apostoli doctrina est examinata ē sacris literis, aliorum quoquā sententias in rebus divinis secundum Scripturā normam examinari necesse est. Nam omnia probate, inquit Apostolus, 1. Thess. s. v. 21. probate Spiritus 1. Joh. 4. v. 1. Nullum autem aliud principium est, è quo probare possumus spiritus, quam Scriptura sacra. Neque dici potest, il-

lam

Iam insufficierat docere, quæ ad fidem in Christum, & vitam æternam fide consequendam pertinent. Etsi Christus Dominus multa dixit, & fecit, quæ scripta sunt; electa tamen sunt, quæ scriberentur, quæ saluti credentium sufficere visa sunt, sicut August. docet tract. 49. in Johann. Prophetici & Apostolici libri, ait Bellar. lib. 1. de verbo Dei cap. 1. sunt verbum Dei, & certa & stabilis regula fidei; si igitur regula consistit in indivisiibili, vel ita constituta est, ut nec diminutionem, nec augmentum patiatur, fides utique non extenditur ultra Scripturam. Unde Apostolus serio monet 1. Cor. 4. 6. ne quis sapiat ultra id, quod scriptum est. Non negant Catholici, inquit Tannerus in compend. relat. colloq. Ratisbon. p. 135. omnia quecumque ad religionem spectant, & circa eam observandasunt, aut in scriptura aperte contineri, aut ex ea quoquo modò etiam per validam consequentiā deduci posse. De Constantino M. Theodor. lib. 1. Eccl. Hist. cap. 7. scribit, quod in Concilio Niceno dixerit: Evangelici & Apostolici libri & antiquorum Prophetarum omcula planè nos instruunt, quid de rebus divinis sentiendum sit. Proinde hostili posta discordia, ex verbis divinitus inspiratis sumamus questionum explicationes; quæ sententia Constantini à tota Synodo est approbata, sicut idem Theodor. 1. cit. testatur. Nam finis scripturæ sacrae est, ut nos instruat ad salutem per fidem, quæ est in Christo Jesu, & perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus 2. Tim. 3. v. 15. 17. ut credentes vitam æternam habeamus per nomen Christi, Joh. 20. v. 31. quam obrem scripturas scrutamur, quia putamus, nos vitam æternam in illis habere. Joh. 5. 39. Quis autem dicet, à Spiritu S. profecta esse doctrinam, vel scripturā, quæ finis, ob quem ordinata, & exarata est, non possit obtineri. Iudæis non est concessum libris Mosis aliquid addere Deut. 4. v. 2. Quarè nobis multò minùs, canone jā absoluto, licebit addere traditiones, vel verbū aliquod non scriptum. Hæc & multa alia, in quibus Apostoli, & fideles Ecclesiæ Doctores Christum è Scriptura docentem pugnantem &c. imitantates provocant ad legem & testimonium, tanquam controversiarum judicem, & fidei normam infallibilem, eò tendunt, ut commendetur Scripturæ scrutinium, & ostendatur, quod ea, quæ prædicanda, & credenda sunt in sola Scriptura reperiantur, fideique Christianæ dogmata alijs ratione, vel præsidio confirmari nequeant, quam Scripturæ autoritate, quam Deus prærogativâ supra omnia humana scripta ornavit. Nam hæc argumentis, & testibus egent, scri-

scriptura verò sibi ipsi testis est. Si scriptis Mosis non creditis, ait Christus Joh. 5. v. 47. quomodo verbis meis credetis? Non potest aliquid esse certum certitudine fidei, nisi aut immediate in verbo DEI continetur, aut per evidenter consequentiam ex eo deducatur: Fides enim non est, nisi verbi divini authoritate nitatur. Negat de hoc principio vel Catholici, vel haeretici debent dubitare. Bell. lib. 3. de justific. c. 8. Cum igitur nulla major possit esse authoritas, quam Spiritus Sancti per Scripturam nobiscum loquentis: neque inveniatur inter homines, qui tanta sit auctoritatis, ut fidem divinam in nobis possit efficere, & confirmare; Spiritus Sanctus autem per Scripturam, illam in nobis excitet, manifestum est, Scripturam non tantum divinam auctoritatem habere in se, sed etiam in ordine ad hominem Christianum. Si quis, ait Origines cum omni studio, Reverentia, quādignum est, Propheetica dicta consideret, in eo ipso, dum legit, & diligentius intuetur, certum est, quod aliquo diviniore spiritu in mente, sensumque pulsatus: agnoscet, non humanitatem eos esse prolatos, quos legit sed DEI esse sermones. Ab Ecclesia quidem requiritur, ut sacrum codicem integrum, vigilanti cura custodiat, à corruptelis vindicet, eusque divinam auctoritatem aliis patefaciat, & validissimis argumentis demonstret: nam Ecclesia est cūlos nō ēdēgītūmātūs ānđēias. 1. Tim. 3. v. 15. verum DEI voluntati Ecclesia ita astricta est, ut ad Scripturam, quicquid credat, & agat, tanquam ad canonem fidei, & vitæ recte instituendæ referat. Si dicitur, ipsos haereticos etiam uti Scripturæ auctoritate, eamque pro sua sententia allegare, antiquum esse, novimus. Diaboli stratagema, quo sub praetextu Scripturæ pias mentes in errorem adducere machinatur, & falsis vera admiscet, ut eō facilius illas decipiat, & à veritatis via abducat. Cum autem una, & constans sit Scripturæ sententia, adversarii illam juxta suas præconceptas opiniones detorquentes de illius praesidio Spiritus Sancti gratia haud difficulter deturbantur. Deturbati autem, & è Scriptura convicti alias querunt præsidia, & diverticula, sub quibus se latere posse, & nobis imponere existimant. Ipsos verò nihil Juvat Praescriptio; nihil traditio, nihil humana ratio, & quod præterea est ex genere hoc, sicut Reverendus & clarissimus Dn. Candidatus in sua Exercitatione inaugurali satis clare, & eruditè demonstrat, ut unusquisque sibi ab adversorum vanis, & fucatis præsidiis caveat, ne illorum fraude, & astutia seducatur, & decipiatur. Postquam enim is in rerum divinarum

sci-

& scientia eos fecerat progressus, ut suæ præclaræ eruditionis testimonium publicum à Veneranda Facultate Theologica optimo jure reverenter petierit; examine privato, & satis rigoroso cum laude expedito, unanimi Reverendi Collegii Theologici suffragio exhibit materiam scitu utilem, & necessariam, publico eruditorum examini. Ut autem de ipsius præclaris natalibus, nobis alias probè cognitis, ipsiusque anteactæ vitæ curriculo unicuique constet, pro more apud nos usitato illius vitæ historiam paucis pertexemus. Patria DEI munere ipsi contigit Hamburgum, urbs non tantum in Germania, sed etiam extra Europæ fines longè lateque notissima. In hac lucem haurire coepit die 12. Mensis Januarii Anno Christi 1646. Pater ipsi est Vir Magnificus, & Nobilissimus Dn. JOHANNES Schlüter, qui initio res privatorum consiliis suis salutariter juvans, ac promovens, summo deinceps Suecorum in Germania tribunal, quod Wismariæ est, admotus, ibique Adfessoris primarii officio cum magna laude functus per duodecim annos, nec non Præsidis in Consistorio Ecclesiastico, denique à Serenissimo Principe ac Domino, Dn. GUSTAVO ADOLPHO Duce Meklenburgico, Güstrovi-um vocatus, Cancellarii consiliariique intimi locum, & dignitatem apud eum consecutus est. Majores Paterni originem debent Westphaliae. Avus ipsi à Patre fuit SEVERINUS, verbi divini minister, Pastor & Senior Ecclesiae Hamburgensis optimè meritus. Mater ELISABETHA, matrona Nobilissima, & pietatis amantissima, Soboles Matthæi Traineri, viri gente, & mente nobilissimi, Norimbergæ oriundi, utinam longioris, ceu dignus erat, ævi; cui conjux fuit ex Putschiorum stemmate, soror admirandi Juvenis, Eliæ Putschii, ab ipso CONRADO RITTERSHUSIO olim publica oratione insigniter laudati. Reliqua huc trahere, aut longius Familiam arcessere non est nostri instituti, nihilque attinet. Satis hic esto nosse, ipsum natum esse ab optimis, & Christiano nomine dignis progenitoribus. De Regeneratione per Baptismum facta, & primâ educatione, ut verba prolixè faciamus, non erit necesse. Illam & nomen in baptismo datum ab Avo, sene, cum id fieret, septuaginta quinque annorum, & pietatis in pueritia studium abundè demonstrat; Hanc verò optima ætatis, doctrinæ, & virtutis incrementa. Puer admodum literis imbui coepit, eisque non segniter applicari, quæ in posterum profutura essent sacratissimum (cui avus, & Parentes eum ab ipsis incunabulis manciparunt) Theologiæ studium adgressuro. Neque unquam illi defuit formatorum industria. Hamburgum elementa suppeditavit; Lubecæ verò, & Wismariæ imprimis studiorum processus debet, ibi à privatis Præceptoribus, hic ab ingenioso viro Dn. ANDREA PAULI, Schola Subrectore

B

prin-

principiò; deinde ab aliis, quos à pietate & doctrina commendabiles omnino
esse plurimi constat, Dn. JOHANNE BELLINO, Dn. LAURENTIO BUN-
SOVIO, Scholæ Rectoribus, Dn. CHRISTOPHORO HOPSTOCKIO
Correctore, Dn. CHRISTIANO BUNSOVIO, Laurentii fratre,
ibidem postea Rectore, optumo viro, & ab adfine suo longè charissimo Dn.
STEPHANO MASI Theologiae Licentiato, bonam jam partem
morte præmaturā defunctis, candidissimè institutus. Linguam Latinam
atque Græcam tradidere omnes, postremis duobus exceptis. He-
bræa per Bunsovios & L. Masium ipsi innotuit, Chaldaea per eundem
Disciplinarum Philosophicarum gustum dedit DN. LAURENTIUS BUN-
SOVIUS, à cuius monitis & in aliis plerisq; non sine fructu sese peperisse
gratissimâ omnino mente profitetur. Andreas verò Pauli in omnem ferè Ma-
thesin ipsum introduxit, præunte CASPARIS SCHOTTI Cursu Ma-
thematico. Theologiae rudimenta hausit in publica schola: sed & privatim
iis ad ductum Præceptorum incubuit. Cetera omitto, cum non sit opus
hôc locô omnia referre, & quô paciô ætate crescente pietati, bonis mori-
bus, & literis animum studiose applicare didicerit. Illis autem admini-
culis suffultus, Wismariâ relictâ, ex Parentis voluntate, quæ pro lege ha-
benda erat, hanc Academiam accessit annos novendecim natus, ut telam-
bene inchoatam porrò texeret atque elaboraret. Hospes ipsius in hac
Universitate fuit DN. AUGUSTUS VARENUS, Theolog. Doctor &
Professor Ducalis celeberrimus, nec non Consistorii Provincialis Adses-
tor gravissimus, atque h. t. Magnificus DN. RECTOR, amicus & Colle-
ga noster plurimùm honorandus. Hujus maximè, & item aliorum ductu
in ipsum se tandem בָּשָׂר קְשָׁר immisit, id est, in adyta S. Theolo-
giae, elegantioris nec non Philosophicæ doctrinæ scientiâ privato studio au-
cta. Tum lectus ab illo Codex Hebreus, & Græcus, curâ, quam antea,
attentiori. Lecta & audita sanioris religionis dogmata. Privata quoque
exercitia, quod non minimùm iis promoveri studia sciret, solicite petiit.
Excepta igitur ex ore dictantis venerandi Dn. Hospitis Theologia contro-
versa Dieterici Catechesi accommodata. Repetita (ea enim antea quoque
familiaris reddit) Konigii Theologia Positiva, explicationes in exegesi-
cam, & polemicam Theologiam excurrentes adjungente eodem D. N. D.
VARENIO, & bis per hebdomadam disquisitioni mutua illam sistente.
Reliqua, quæ privatim & publicè singulari studiô ab ipso sunt suscepta, jam
prætereo. A Dn. Parente verò tandem Wismariâ revocatus, ut Fratris MAT-
THÆI studiis philosophicis suppetias ferret, ingenium notitiae rerum.

Theo-

Theologicarum præprimis cupidissimum ibidem magis atque magis excœluit, lectione frequenti Scripturæ, LL. Theologicorum GERHARDI (quos jam inde ab ingressu in hanc Academiam manibus terere coepera) Historia Ecclesiastica (itidem jam tum antea tractatae) & aliorum. Wismariæ Parentis voluntate & consilio digressus, ut alias quoque Germaniæ Academias adiret: fraterq; comes itinerum factus est. Patria igitur primùm salutatâ cum Fratre Jenam se contulit, ædibus & mensâ Dn. JOHANNIS MUSÆI, Theologice celeberrimi, exceptus. Hic ex voto egit agenda, accuratâ hujus Virtutis doctrinâ haut mediocriter & publicè & privatim exhilaratus. Hic in publicum prodiit, Disputatione de Principiis cognoscendi divinam sacrarum literarum firmitudinem d. 4. Dec. a. 1668 Praeside paulò antè laudatō institutâ. Hoc autem loco missò petita Norimbergensium Altorfina, multis celebriofibus locis in transcurso lustratis. Ut autem in illa quoque suam industriam in studio Theologico probaret, sub praesidio Dn. D. JOHANNIS WEINMANNI, veterani Theologi d. 8. Sept. anno. 1669. circularem, ut vocant, Disputationem de Ecclesia habuit: suisque præterea studiis non parum consultum vidit favore clarissimorum ejus loci Professorum, scil. venerandi Dn. Hospitis, JOANNIS CONRADIDI URRII, Theol. & Phil. Mor. Professoris nominatissimi (qui eō tempore publicè congressus cum Socinianis ipsi sèpius ansam dedit illorum partes tutandi,) Dn. LUCAE FRIDERICI REINHARTI, Theologi celeberrimi, Dn. D. JOANNIS CHRISTOPH. WAGENSEILII, Histor. & Jur. Publ. Professoris, Orientalium linguarum callentissimi, & de cetero longinquis peregrinationibus apprime nobilitati, Dn. JOANNIS CHRISTOPH. STURMII, excellentis Mathematici & Physici &c: Horum etiam benivolentia factum est, ut Norimbergæ amicitia Virorum pietate & doctrinâ celeberrimorum, Dn. WULFERI, Dn. FABRICII, Dn. ARNOLDI &c. maximè gavisus sit. Ut autem in aliorum quoque tum locorum tum virorum clarissimorum notitiam veniret, vale Altdorfinis & Norimbergensibus dicto, iter cum Fratre, ac nonnullis Norimbergensibus (quorum pars Ecclesiam nunc bellè ornat) suscepit primùm in Palatinatum superiorem atque Bavariam, inde insueviam, Ducatum Würtembergensem, Alsatiam, Palatinatum Heidelbergensem, & sic porrò per Rhenum amnem in Belgiam. Ubi hoc præcipue curæ fuit nostro Candidato, ut iis potissimum locis ad tempus inhæreret, quos vel Academia, vel alias magni & celebres viri decorant, vel etiam sectarii deturpant. Hinc & colloquia horum talium passim, maximè vero

Tu-

Tubingæ, Argentorati, Heidelbergæ, Francofurti, Coloniæ Agrippinæ,
Lugduni Batavorum, Amstelodami, Groningæ &c. quæsita sunt. Itinere
höc feliciter DEI gratiâ absoluto Güstrovi hæsit ad tempus apud charis-
simos Parentes. Ibi autem totus in eo fuit DN. C A N D I D A T U S, ut
singulari industria repeteret, quæ in Academiis, & aliis celebrioribus locis
diligenti curâ sibi comparaverat. Inter ea in primis relecta sunt exege-
tica, polemica atque historica, quibus adjunxit diligentem Casuum con-
scientiae meditationem, ac eorum, quæ ad praxin ecclesiasticam pertinent.
Homiletica quidem jam inde à primordiis studii Theologici sibi commen-
data habuit, ut etiam concionibus ad populum habendis Spiritus Sancti
gratiâ fieret idoneus, verum ita, ut ea, quæ ad ἔλεγχον τάνταν λεγόντων
facerent, in primis tractaret: ideoque non nisi subcisiae horæ iis tributæ,
& ferè illa duntaxat tempora, quando ab aliis conciones habere jussus
est, etsi nunquam res ipfi levis visa, ritè oratoris sacri munus obire.
Quod supereft, ego & meo, & Rev. Facultatis Theologicæ
nomine M A G N I F I C U M D N. R E C T O R E M , omnes-
quæ literatos & literatorum Fautores ad actum illum Dispu-
tationis solemnem die XVII. Sept. celebrandum, eâ,
quâ par est, humanitate, & reverentiâ, officiosè
invito.

P. P. sub sigillo Facultatis Theo-
logicæ d. 8. Sept. Anno 1672,



Theologicarum præprimis cupidissimum ibidem mag-
buit, lectione frequenti Scripturæ, LL. Theologicorum
jam inde ab ingressu in hanc Academiam manibus terer
Ecclesiasticæ (itidem jam tum antea tractatæ) & aliorum
tis voluntate & consilio digressus, ut alias quoque Germ-
ret: fraterq; comes itinerum factus est. Patriā igitur pr.
Fratre Jenam se contulit, ædibus & mensâ Dn. JOHAN-
logicæ celeberrimi, exceptus. Hic ex voto egit agenda, acc-
estrinâ haut mediocriter & publicè & privatim exhilarati-
prodiit, Disputatione de Principiis cognoscendi diuinam
firmitudinem d. 4. Dec. a. 1668 Praeside paulò antè laud
autem locò missò petita Norimbergensium Altorsina,
locis in transcurso lustratis. Ut autem in illa quoqu
in studio Theologico probaret, sub præsidio Dn.
WEINMANNI, veterani Theologid. 8. Sept. anno
ut vocant, Disputationem de Ecclesia habuit: suisque p
parum consultum vidit favore clarissimorum ejus loc
venerandi Dn. Hospitis, JOANNIS CONRADI
& Phil. Mor. Professoris nominatissimi (qui eō te-
gressus cum Socinianis ipsi sæpius ansam dedit illor
Dn. LUCÆ FRIDERICI REINHARTI, T
Dn. D. JOANNIS CHRITOPH. WAGEN
& Jur. Publ. Professoris, Orientalium linguarum call-
tero longinquis peregrinationibus apprimè nobilitati,
CHRISTOPH. STURMII, excellentis Ma-
ci &c. Horum etiam benivolentia factum est, ut N
Virorum pietate & doctrinâ celeberrimorum, Dn. W
BRICII, Dn. ARNOLDI &c. maximè gavil
in aliorum quoque tum locorum tum virorum clar
veniret, vale Altdorfini & Norimbergensibus dicto
nonnullis Norimbergensibus (quorum pars Ecclesian
suscepit primùm in Palatinatum superiorem atque
Sueviam, Ducatum Würtembergensem, Alsatiam,
bergensem, & sic porrò per Rhenum amnem in Belgiam
curæ fuit nostro Candidato, ut iis potissimum locis a
quos vel Academizæ, vel alias magni & celebres viri dec
riri deturpant. Hinc & colloquia horum talium p

